

**De adiumentis quibus natura utitur ad evolutionem hominis perficendam  
physicam et psychicam : dissertatio inauguralis anthropologica ... / auctor  
Jul. Aug. Mueller.**

**Contributors**

Mueller, Julius August, 1806-  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typ. Brüsckianis, 1829.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/fmkv7qzk>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

3  
DE ADIUMENTIS  
QUIJS NATURA UTITUR  
AD VOLUTIONEM HOMINIS PERFI-  
CENDAM PHYSICAM ET PSYCHICAM.

---

DISSERTATIO  
INAUGURALIS ANTHROPOLOGICA  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
IN  
UNIVERSITATE LITTERARIA  
FRIDERICA - GUILIELMA  
PRO SUMMIS  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS  
RITE OBTINENDIS  
DIE XXIV. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXIX

H. L. Q. S.

*PALAM DEFENSURUS EST*

AUCTOR

**JUL. AUG. MUELLER,**  
MEDIO - MARCHICUS.

---

*OPPONENTIBUS:*

**ED. SCHEIBLER,** MED. ET CHIR. DR.  
**F. SCHÜTZ,** MED. ET CHIR. DD.  
**GUST. DROYSEN,** PHILOS. DD.

---

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHKIANIS.

Digitized by the Internet Archive  
in 2016

**V I R O**

**ILLUSTRISSIMO EXPERIENTISSIMO**

**J. H. KUNTZMANN,**

**MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, REGIS CONSILIA-  
RIO MEDICOQUE AULICO ETC. ETC.**

**PATERNO AMICO**

**MAGNOPERE COLENDO**



V I R O

ILLUSTRISSIMO EXPERIENTISSIMO

J. H. KUNZMANN

**NEC NON**

INDICIBUS ET CURSIBUS MORBORUM, HÆCIS CONSERVANDA  
RINO MEDICORUM LIBRO 1.º ET 2.º

PATERNO AMICO

MAGNIFICENTIAE COLLENDO

B

PATRI SUO

**C. G. MUELLER,**

SENI HUMANO

MAXIME VENERABILI

**PIETATIS ET OBSERVANTIAE SIGNUM**

**STUDIA SUA IUVENILIA OFFERT**

**AUCTOR.**



---

## L e c t o r i.

---

Qui hasce pagellas in manus sumseris, lector benevole, ut comperias, quo mens auctoris, studiis severioribus absolutis, spectet, non ei succenseas, quod rem tractandam elegit, cui eum imparem fuisse tibi non praesentius esse potest legenti, quam ipse eam tractans acerbius confirmatus est. Talem ejus esse aetatem, memor sis ut in iis tantum, quae summa et integerrima videntur, versari amet. Non opusculum ideo despicias, quod sortis, qua premi potest iniquissima, oblivionis scilicet fons ei innatum est; quam eo minus effugere poterit, quod non solum tironis, sed etiam temeritatis opus est.

Tu autem, lector otiose, qui voluminis hujusce reliquias ex latibulo quodam protulisti vel collatas ad usum immeritum servasti, ut amoris novum quidquam cognoscendi obiter te attingenti satisfaceres, indulgentiam iis tribuas. Nam ex amore naturae, ex amore hominum progressae sunt; utile ac bonum quidpiam in lucem proferendi desiderio auctor incensus fuit: castae, lector, voluntati honorem reddas, quum etiam rationem, qua eam persecutus sit, non laudare possis.

---



---

## Capitulum I.

---

### De evolutione hominis generatim.

§ 1. Cujusvis creaturae, animae facultatibus praeditae, destinationem esse eam, ut gaudeat, quod adsit, et omnium rerum conditarum contemplatio, et creatoris ipsius naturae docet perscrutatio.

§ 2. Hoc autem interest discrimen inter homines et animalia maximum, quod haec vita fruentia, illi ea utentes felices redduntur; quod animal intelligentia sensuali tantum et instinctu praeditum, sui non conscium, bonum sensuale adpetit, malum sensuale evitat, quare etiam omni tempore, singula, destinationi satisfaciunt; — homo autem, mente praeditus, quum conscientiam boni et mali assecutus est, illud ex hoc evolvere studet, et beatus sibi videtur, quum ex certamine, in quo perpetuo contra malum versatur, victor cum conscientia libera bonitatis suae progressus sit.



§ 3. Bonum vero, utique studio partum, immortale est; et quatenus malum, bonis auctis imminuatur, necesse est, ut homo vitae usu ad scopum sibi propositum, propius propiusque accedat, et perpetuo, quamvis non ad singulos, tamen ad totum genus progrediatur. Genus humanum, quamquam lente, tamen revera progredi, bonum, per temporis spatium superatum a malo, semper denique vincere, et quo diutius oppressum fuerit eo splendidius efflorescere, experientia edocti novimus. Natura autem terrestris in homine (vita excitatione posita), quae bonum semper repugnat, et ut hoc infinitum est, etiam malum infinitum progignit, hominem impedit, quominus propositum consequatur, et conscientiam liberam bonitatis suae adeptus, creatori similis reddatur.

§ 4. Quum homini propositum sit, progredi, natura facultatibus non evolutis, sed tantum evolvendis (indole, Anlagen) instruxit eum, atque certas vires praestituit, quibuscum illae relationem mutua inirent, iisque aequo modo, ut vita ipsa ex relatione mutua inter excitans et excitabile progreditur, evolverentur. (§ 41-45.) Illae autem vires (impulsus, Einflüsse), certa ratione attingerent indolem necesse fuit, ne malo praevalentiam praebentes damnum offerrent, evolutionemque impedirent; atque institutio, qua actio impulsuum tali



modo regitur, quali facultatibus respondeat, educatio nominatur.

§ 5. Educatio hominis duplex est, quatenus ad totum genus aut ad singulos referatur. Genus educandum curat providentia, quae hominem tali modo instituit, ut facultatem sese evolvendi ei imponeret: cum hac autem simul facultatem, impulsibus noxiis (malo) resistendi, qua deficiente evolutio nunquam perficeretur.

§ 6. Educationem singulorum homo ipse ducit, concitatus facultate sese evolvendi. Quum enim natura ei indolem tantum inseverit, ita ut praeter functiones vitales parum evolutas nihil in vitam inferat, quam facultatem, ex creatura prae omnibus auxilio egente, orbis terrarum dominus prodeundi, quum porro necesse sit, eum fructum cepisse ex bono antea jam parto, ut pro viribus ad excolendum genus suum elaborare possit, — non solum tutela eget primis, sed etiam demonstratione sequentibus vitae annis. quare providentia parentibus curam posterorum angustissimam imposuit necessitatem.

§ 7. Tunc autem illa cura nominari potest educatio, quum homo ad eum evolutionis gradum pervenit, quo studet, ut providentiae mysteria generis humani educandi perscrutetur, et adjumenta, quibus illa in educatione utitur, cum facultatum naturam tum impulsuum vires agnoscat; legibusque,



quibus impulsus in relatione mutua cum facultatibus utiles aut noxios sese praebeant, cognitis, illos ad evolvendas facultates certa ratione adhibeat.

Ea adjumenta, et indolem et impulsus ad animum referre, ejus facultates, horum vires accuratius examinare hac in commentatione, nobis proposuimus; et arti paedagogicae leges, quibus relationem mutuam ineant, perscrutandi, iisque methodum, qua posteros instituat, superstruendi, addicimus curam.

---

## C a p u t II.

---

### D e i n d o l e g e n e r a t i m .

§ 8. Vires creaturis innatae, quae, quum evolutae sint, functiones exhibent, indoles vocantur. Indoles ipsa contemplationem proximam effugit, et uti vires, in semine interquiescentes, non prius cogitari possunt, quum ut planta sese evolverit, ita etiam e functionibus tantum ad indolem respicere possumus.

§ 9. Duplicem in homine discernimus seriem functionum, quoad inserviunt ad vitam singulorum generisque conservandam (funct. vitales), vel ad culturam perficiendam (funct. perfectionales); et



aequo modo etiam indolem distribuimus in vitalem (Lebensanlagen) et perfectionalem (Kulturanlagen).

§ 10. Indoles ad functiones vitales praecipue corpus, indoles ad functiones perfectionales praecipue mentem attingit; attamen illa non defugit mentem, uti haec etiam corpori convenit. (amor vitae, generis; — lingua, sensus, indoles technica). Nam corporis cum mente ad organismum humanum conjunctio tam intima est, ut non facultatem alterius exhibere possimus, cujus altera non particeps sit; ut non solum functiones vitales in homine omnino aliae sint mentis reactione atque in brutis, sed etiam ubique corpus ad mentem commovendam et constituendam multum valeat. (§ 51.).

Mens autem, quamquam intime mixta cum corpore terrestri, tamen ubivis ortum divinum manifestat; atque corpus divini gestator, ut ita dicam et minister habendum, quemadmodum in artificio plastico marmor est gestator ideae ab artifice effictae; quae quamquam non solum in lapidem effusa, sed etiam eam intime implens et permanans, tamen ut immortale quidquam ab illa separatum poni et respici potest. Natura mentis corpore sublimior ex conditione etiam apparet, qua homo nascitur, qua, omni paene dormiente psychica indole, facultates corporeae jam ad certum gradum evolutae sunt, ut corpus mentis expergefictae vim sustinere possit.



§ 11. *Indoles innata est; vitalis autem alia ratione, quam perfectionalis, quod clarissime elucet, quum indoles hominis brutorum indoli comparatur, quibus vitalis tantum adscribi potest. In his ubivis naturae studium animadvertitur, quo genus propaget integerrimum, et quum impulsus peculiare (domitura) singularem proprietatem et facultates ab origine ei insitas commutavissent, impulsibus sublatis exemplar restituat.*

§ 12. *Facultates autem perfectionales in ratione qua praeformatae sunt, cum ad quantitatem (variarum facultatum congregationem et compositionem, *Vielseitigkeit*) tum ad qualitatem (certum gradum, ad quem evolvi possunt, *Entwickelungsfähigkeit*) maximam praebent varietatem, quae varietas culturâ magis magisque augetur: et propter relationem mutuam inter facultates in organismo humano, qua etiam indoles vitalis modificatur (impulsus interni), et propter relationes, quas homo init cum rebus externis, auctas (impulsus externi). Haec ita esse, docet gentium incultarum (infantum) contemplatio, quarum individua et ad lineamenta oris et ad constitutionem mentisque temperaturam utcunque similia invenimus, dum inter populorum singulos cultura proressorum differentiam animadvertimus maxime admirabilem. Hac etiam differentia nititur ratio ingenii, quae indolis hujus alteriusve significat facultatem ad magnum gradum*



sese evolvendi: fac, ut varietas magna dotum etiam deficiat.

§ 13. Quaecumque autem studium sit naturae, indolem vario modo homini imponendi, rationesque, quibus mixtae sunt dotes, multiplicandi, experientia tamen docet, non paucas propagari. Ut certa lineamenta oris et characteris gentium, saeculis vel praeterlapsis patriaque ipsa mutata in eadem gente inveniuntur, quum non aliis inmixta fuit, (argumentum maximi momenti iis, qui varias generi humano fuisse cunas dicunt), ita etiam facultates familiis quibuscumque peculiare omnia earum membra designant, quamvis omnino, quod adtinet ad rationem qua mixtae sunt facultates, (constitutionem, temperamentum), valde differunt. Morbi ipsi, vel proclivitas ad morbos, quibus parentes affecti erant, a liberis hereditate acquiri possunt (dyscrasiae, habitus vitiosus, morbi mentis); quae hereditas perspicue docet, quanti momenti sit vis functionum perfectionalium (morborum illorum causa remota) in commutandas functiones vitales, quum vel naturae studium repugnet, functiones vitales propagare integras.

§ 14. Denique non negari potest, quin mobilitas quaedam mentis, fibra mollior et excitabilior corporis propagetur; magnum certe naturae adiumentum, culturae generis humani prospiciendi. unde fit, ut parentum excultorum liberi prius ad eundem



gradum culturae perveniant, quam parentum parum cultorum; quare contemptus, quo honestioris ordinis cives eos indignantur, qui ex humiliore emergunt, non omni ex parte in opinione temere capta ponendus videatur. Simile quidquam etiam in animalibus perspicimus; mansuefactorum parvula multo facilius mansuefiunt et domantur, quam ferorum; pulchrior equi domestici corporis forma certe non alia causa nititur.

§ 15. Ex evolutione omnium facultatum congrua, quod adtinet ad qualitatem et ad quantitatem, qua praeformatae sunt, (§ 12.) oritur sanitas; ex harmonia earum sublata morbus, qui propter relationem mutuum inter functiones semper universalis esse debet; et nihil interest, functiones utrum vitales (Hypochondriasi e. g.) an perfectionales (animi affectibus) primitus correptae sint. (§ 10.) Quum autem facultates varia ratione praeformatae sint, non absoluta sed relativa sanitas tantum existere potest.

Sanitas autem bonorum physicorum maximum; atque quum creatura, illa conservata tantum, propositum suum consequi possit, (nam functionibus perfectionalibus perturbatis etiam homo non progredi potest;) artis paedagogicae conservatio valetudinis non minus esse debet argumentum, quam cura evolutionis. Quod vero illa eo modo tantum conservari potest, ut facultates innatae eadem ra-



tione, qua praeformatae sint, etiam conserventur per evolutionem, perscrutatio rationum praeformationis summum atque etiam difficillimum educationi est praestitutum. (Quid inde enascatur, quum infantes ad certum vitae vel reipublicae munus a parentibus, qui nullam prorsus facultatem rationem habeant, instituti sint, ubivis experientia docet.)

---

## C a p. III.

---

### De indole speciatim.

§ 16. Quod a functionibus tantum indolis rationem derivare possumus, illas, cum quatenus toti generi humano debeantur, — functiones corporis, mentis, — tum quatenus earum mixtio et ratio, qua praeformatae sunt atque per evolutionem variâ se praebent, singulos obtingat, — temperamentum, sexus, aetas, — praecipue considerare studebimus.

#### I. De functionibus corporeis.

§ 17. Functionum vitalium in corpore domicilia sunt organa. Ratione habita actionis his propositae, duplicem distinguimus seriem functionum, quarum altera ad vitam singulorum conservandam, altera ad genus propagandum inservit.



Omnes autem, quum ejusdem organismi sint functiones, igiturque non alio modo quam relatione mutuâ munera sua plane exsequi possint, non certis organis propriae conveniunt; sed in certis prae ceteris sese manifestant.

§ 18. Ex functionibus ad vitam singulorum conservandam in organis digestionis et assimilationis (sanguificationis) agitatio, ex nutrimentis in corpus susceptis, quod ad restituendum vitae actione consumptum placeat, secernens, corporique assimilans. Reproductioni etiam inserviunt organa, quae corruptum, non ad vitam sustinendam aptum, e corpore secernunt et removent.

In musculis, vasisque sanguiferis praecipue irritabilitas sedem habet, functio in incitamenta corpus afficientia reagendi, motionemque organicam efficiendi. Respiratione et circulatione sanguinis reproductioni conjungitur, uti imponderabilium (caloris, electricitatis) procreatione ad systema nervosum spectat.

In hoc autem prae omnibus sensibilitas sese manifestat, functio sentiendi. Systema nervosum pons est menti et corpori interpositus; coenesthesia mentem edocet conditionem corporis; organa sensuum eam conditione imbuunt rerum externarum. Systemate nervoso mens in musculos talem vim exhibet, qualis motum arbitrarium efficit; (loquelam, tactum, dexteritatem: functiones



perfectionales); et cerebrum ipsum, centrum quasi, ex quo nervorum actio emanat, pro mentis domicilio habendum est.

§ 19. Generi propagando inservit functio sexualis (vita propagativa), cujus domicilium sunt organa semen parantia, coitum ac conceptionem conficientia, evolutionem corpoream foetus primam, ejusque nutritionem post partum curantia.

## II. De functionibus mentis.

§ 20. Quod mente homo praeditus est, naturâ originis divinae, creatori simili, immateriali, absolute libera et immortalis; sed quum corpori terrestri, domicilio materiali insita sit, etiam materiali, malo occupata (non libera) unaque cum illo vitam (terrestrem) desinente; — longe creaturas quasvis orbis terrarum superat sortis conditione, quam mens ei proponit.

Quemadmodum autem creator cujuscunque boni, pulcri et veri principium est, etiam mentis elementa sunt bonitas, pulcritudo et veritas: atque facultates, quae ei insunt, bonum, pulcrum et verum sentiendi, volendi et cognoscendi. Sed propter naturam materialem ex malo tantum bonum, pulcrum et verum ad conscientiam afferre, nunquam autem cum libertate absoluta illud sentire, velle et cognoscere potest homo, quod malum ubicunque tendit, ut eum illiberum reddat.



§ 21. **Facultas bonum, pulcrum et verum cognoscendi, intelligentia vocatur, quae est sensualis, quum sensus eam cognitione rerum imbuunt (sensorium); intellectualis, quum studet, ut varietatem notionum (abstractione), judiciorum (reflexione), conclusionum (subsumptione) ad unitatem referat; imaginaria, quum memoriâ, quae jam cognita sunt, revocat, vel phantasiâ rerum exemplaria effingit.**

§ 22. **Facultas bonum, pulcrum et verum sentiendi intime conjuncta est facultati illa volendi; nam voluptatis sive taediî sensus cum sensualis tum intellectualis (ex notionibus vel ideis oriens) simul etiam efficit studium, statu praesenti egrediendi vel in eo remanendi: quare illam et hanc notione animi comprehendere volumus. Animi studium in statu quodam remanendi vel eum relinquendi, appetitio vocatur si breve modo per tempus, inclinatio si diutius perdurat. Ex appetitu tali modo aucto, ut animus porro non intelligentia regi possit, affectus, ex inclinatione intelligentiam opprimente passio oritur. Et hae et illi, ardentes vel frigidae, excitantes vel deprimentes, morbi sunt mentis, quum harmoniam inter functiones tollant; quare etiam corpus vario modo afficiunt.**

§ 23. **Ex facultatibus mentis intelligentia ad divina et aeterna magis sese convertit, animus magis ad terrestria. Hic est, qui vitam imbuat gratia**



et suavitate, et acquiescentiae absolutae, quam non assequi potest, damnum acquiescentiâ relativâ explens, hominem amore vitae incendit. (Vitae taedium ex depressione vel exaltatione hominum, qui onania exhausti aut affectibus sui non compotes facti sunt). Animus in vitam terrestrem functionibus vitalibus (amore sexus, amore vitae) ut arbor in terram radices agit, dum sensorio, foliis quasi ac ramulis ad naturae almae impulsus sese convertit. Per affectus autem, stolones et sarmenta ut ita dicam, luxuriose implicata, intelligentia, truncus regius et superbus coelum appetit, floribus splendidis magnificentiam et amplitudinem creatoris manifestans.

### III. De temperamentis. \*)

§ 24. Harmonia absoluta functionum, quod adtinet ad earum varietatem (Vielseitigkeit) et ad gradum, quo evolutae sunt, certe non in homine culto unquam invenitur. Forsitan harmonia functionum vitalium adesse posset, quamdiu vi functionum perfectionalium sese evolventium et varie praeformatarum (§ 12.) non modificatae sunt et quamdiu

---

\*) Conf. de temperamentis et indole sexui propria: descriptiones praeclaras Kantii (Anthropologie in pragmatischer Hinsicht) et Waltheri (Physiologie des Menschen) quas ad propositum nostrum accommodatas majore ex parte servavimus.



impulsus, qui vitae conditionem, incitamenta, commutare student, non específicos, i. e. in certas functiones prae omnibus vim exserentes sese praebent.

§ 25. Character autem, quem facultates a ratione accipiunt, qua ad qualitatem et quantitatem mixtae, mixtioneque modificatae sunt, qui postea etiam functionibus inest, temperamentum vocatur. Quum cultura progrediente simul numerus rationum, qua mixtae sunt facultates, augeatur, etiam temperamentorum varietas crescit; et non facile est nostris temporibus, varia ad certas normas reducere. In reducendis autem difficultates obviam veniunt insuperabiles, quum rationes mixtionis facultatum corporearum (constitutionis corporis) a rationibus facultatum mentis separantur, quod ex causis, quas supra diximus (§ 10.) nullo modo fieri potest.

§ 26. Prae omnibus novorum distributionibus maxime arridet divisio antiqua illa et notissima Galeni, in mixtione humorum corporis posita. quam cum ea exceptione servabimus, ut non illam, sed mixtionem functionum mentis causam primam esse varietatis temperamentorum, putemus.

§ 27. Temperamentum sanguinicum aequo modo ac melancholicum ad sensum referendum est potissimum; et quidem illud cum intensione, hoc cum remissione vis vitalis conjunctum videmus.



Sensus sanguinici facillime et fortiter, melancholici autem modice et alte afficitur; incitamenti effectus in illo facile evanescit, in hoc diu consistit; ille non ullam, hic quamque rem magni momenti esse putat; ille, si quid incepit, laeto animo successus memor est, hic timet, ne res in discrimine versetur; ille propter animum expeditum in omnium amicitiam venit; hic propter diffidentiam et dubitationes a laetitia atque ab hominibus abhorret.

Sanguinici motus sunt expediti, graciosi, non energici; os emphaticum, argutum; capilli fusci; corpus formâ decorum et concinnum, modice robustum; systema arteriosum cordisque actio praevalens; respiratio libera, temperatura aucta; quare inclinatur ad morbos inflammatorios, haemorrhagicos potissimum.

Contra ea in melancholico systema gangliosum praevalent, irritabilitate recedente. Corpus fibrae tenerioris facile incommodis commovetur et afficitur (constitutio nervosa, hysterica); sensus externi infirmi, internus eo acutior, quare iudicium subtile de litteris et artibus saepius reperitur. (Morbi nervosi, dyscrasici).

§ 28. Temperamentum et cholericum et phlegmaticum magis ad actionem referendum, atque et hinc illud ex intensione, hoc ex remissione vis vitalis oriri videmus.



Cholerici actio celerrima est et energica, non autem longum per tempus durans; facillime incenditur passionibus; sed quamquam ad iram promptus, tamen non odio flagrat, et facile mitigatur, si cesserit, qui eum irritavit. Phlegmatici actio est tarda [non segnis] sed perdurans; affectibus haud facile movetur, et quum prius secum perpendat, an irascatur, raro tantum irascitur. Cholericus imperii, honoris et gloriae amore flagrat, idioque magis actionem regere amat, quam res ipse agere. Generosus ostentandi studio, avarus est, ne sit sordidus. Mentis facultates superiores magno gradu evolutae sunt, rationes late patentes, consilia fixa; sed saepius suscepta propter animi vehementiam omnia disjicientem ad irritum cadunt. Phlegmaticus animo lento aliis est superior, sed aliorum egoismo non molestiam affert. Cum omnibus obsequi videatur, omnia, quae ei obviam veniunt, ut glans ictus tardioris secum provolvit. Mens autem immobilis, phantasia non agilis; et ex studio tantum et cura, saepius maxime intensis, litterae artesque technicae fructum capiunt.

Corpus cholericum non insignis magnitudinis et strigosum est, fibris adstrictis. Cutis e fusco-flava; capilli nigri; pulsus durus, plenus, venositate (praecipue systemate venae portarum) praevalente, ex qua omnes etiam ejus morbi characterem peculiarem accipiunt.



Actio phlegmatici expressa est et tranquilla, sensus externi uti internus parum sunt evoluti; oculi languentes, capilli flavi; desideria naturalia omnino paene dormitant. Partes humidæ corporis solidis prævalent; fibra mollis est, laxa; inclinationem animadvertimus ad chlorosin, scrofulosin, hydropem et morbos tunicæ muciparæ.

#### IV. De indole sexui propria.

§ 29. Sexuum sepositorum finis est genus propagandi; quare et functiones iis peculiare ante pubertatem perfectam non plane evolutas invenimus.

Mulierem foetum conceptum in gremio suo ad certum gradum corporis incrementi gestare oportet. Uti autem incrementum præcipue reproductione ponitur, totum etiam mulieris corpus magis reproductivum est et materiale: formationes majoris dignitatis materiâ velatae sunt et in delineationes parum certas et accuratas evanescent; viri contra corpus magis formâ quam materiâ excellit. Fœmineum corpus minus est virili teneriusque constructum; respiratio angustior, musculorum fibra minus adstricta et irritabilis. In viro pectus et cerebrum partes sunt præ omnibus evolutæ, in femina autem regio pelvis: et organa, in ea sita, et in statu sano et morbo ad totius corporis valetudinem multum valent.



§ 30. Ut fructum mulieri commissum quam maxime tutum reddat natura, ei cum fibra debiliore timorem periculi iniecit, virumque demonstravit, qui eam sustineret et defenderet. Simul etiam cum animo inter mentis facultates praevalente eam instruxit ardentiore vitae amore, et facultate, ejus suavitatem, argutiores urbanitatis sensus, evolvendi. qua non solum ad perficiendam liberalem vitae necessitatem destinata est, sed etiam viri venerationem assequitur, qui magnanimitate jam feminae fidus, amore sexus ejus cupidus, eo pervenit, ut fortis, gratiam debilioris captare, eaque, legibus cultus liberalioris partis, dignum se reddere studeat. (Hymen).

§ 31. Quod viri efficit intelligentia, feminae agit fides (Glaube); aequo modo vir agnoscendo ac femina sentiendo ad bonum adipiscendum incitatur, quare haec etiam facile malo vincitur, nisi fidem (religionem) sensibus intimis infixit. Viro est facultas, judicio sensus taedii vel voluptatis coërcendi, femina aliorum sensibus facile afficitur; ille certa ratione nixus, hae sensus secuta res agit. Maritus ubicunque obsequiosum se praebens, atque tacite et tranquille, quae judicium jubeat, persequens, uxoris salutem prae omnibus sibi curae cordique esse, exhibet, eamque mox clementem et in obsequium promptam reddit.



§ 32. Mas igitur ad libertatem propior, ejusque regionem sua sponte et propriarum virium sumtu colens, femina minus eget; sed eo oblectatur, ut eam ad se attollat, cum illa versetur animique sensa communicet. Femina terrestribus quidem magis coacta et distenta, altius tamen et generosius attendit: quod innocentiam suam pietatemque exhibet. Alter autem ut altero suppleatur, integritatemque sibi restituat et totalitatem, studet, quare amor sexus omnium est summus et potentissimus.

V. De ratione, qua functiones secundum vitae aetatem se habent.

§ 33. Rationem, qua per varias vitae aetates ad functiones sese evolvit indoles, perscrutandi artem paedagogicam attingit, quum evolutio impulsibus perficiatur, ejusque ratio majore ex parte eo modo nitatur, quo facultates impulsibus tanguntur. Ut autem facultates non congruenter, eodemque tempore non ad eundem gradum evolutas sese praebent, ut aliae explicantur, aliae jam extensive et intensive maturatae, aliae jam decrecentes vel evanescentes inveniuntur, quemadmodum igitur quaevis aetas praevalente et corporis systemate et mentis functione quadam insignis reperitur, ideoque arti educationis opera est danda, ut impulsus tali modo adhibeat, quali hi facultatum rationi respondeant, — necesse est, earum conditionem, cuique aetati peculiarem, explorare studeamus.



§ 34. Quarum si ratio fuerit habita, vitae progredientis distinguimus aetatem infantilem, juvenilem et virilem; vitae decrescentis varios aetatis senilis gradus. Vitae incrementi aetates prae ceteris contemplatione dignae videntur, quod per eas evolutio maxime perficitur.

§ 35. Aetate infantili praecipue reproductivas functiones vigere videmus, quare per illam corpus ut plurimum augetur. Irritabilitatis et sensibilitatis functiones debiliores sunt, quam ut in incitamenta diutius reagere possint; et mox defatigatae somno vires colligere student. Igitur praesertim talibus morbis hujus aetatis homines oppressos invenimus, quales reproductionis organa afficiunt, vel ex debilitate nervorum et musculorum systematis originem ducunt. (Rhachitis, scrofulosis, convulsiones.)

Dum mentis facultates expergiscuntur, animum praevalentem animadvertimus, et praecipue aptum, impulsuum, qui sensum boni movent, concipiendorum. Infans, primitus probus, cuius confidet et facile ab omnibus quorum lineamenta conciliatur comitatem patefacere videntur. Facile aequae irritatur ac mitigatur, odium non servans.

Quod autem mentis facultates hac aetate explicari incipiunt, intelligentia sensualis rebus externis sensibus perceptis, intellectualis loquelâ excultâ et conscientiam sui (primi „Ego“ pronuntiatione, —



egoismo incipiente) excitâ<sup>1</sup>, sensim sensimque sese evolvit, imaginaria ludis (fictione rerum jam antea perceptarum), sedulo narratiuncula audiendi atque simulacra contemplandi studio, efflorescit, — quod intelligentia intellectualis ex omnibus rebus, quas experta est, unitatis rationem conquirere et colligere studet, et experientiae experientiam, usui usum superstruit, — quod igitur experientia prima pro fundamento ceterarum habenda est, artem paedagogicam virium, evolutionem primam perficientium, prae omnibus rationem habere, maximi momenti est: et aetatis primae educatione totam salutem hominis niti, jure contenditur.

§ 36. Aetate puerili infantia ad juventutem accedit. Reproductione adhuc praevalente irritabilitas cum vita propagativa vigere incipit. Unde puerum alacrem saepiusque ultra modum laetum et exultabundum atque desiderio solis, coeli et pratorum, in quibus vires exerceat, incensum invenimus.

§ 37. Per aetatem juvenilem pubertas maturescit; irritabilitas praevalere incipit. Cor arteriaeque extenduntur, pulsus fit plenior, musculorum fibrae quam maxime sunt irritabiles, cavum pectoris plane excolitur; vultus vigescit colore. Unde juventutem morbis inflammatoriis, haemorrhagicis facile correptam, indolemque ad phthi-



sin pulmonum in morbum ipsum transgressam saepius videmus.

Ex animi sensibus sensum pulcri praevalentem animadvertimus. Amor sexus phantasiam incendit et stimulat. virgo modesta operae sibi a juveni redditae, secreto erubescens, gratam memoriam retinet, juvenis autem vice, supremae imaginis animo effictae (Ideal); quemadmodum ille, gratiâ eam colens, suam tantum imaginem intimo animo amplectitur. Quomodo juveni vita appareat, pia et beata videtur; et vita ideali, quam litterae humaniores effingunt, oblectari, summa ejus est voluptas.

§ 38. Adolescentiâ juvenis ad aetatem virilem transit. adolescentis vita propagativa potentissima, corporis formae orisque lineamentorum vigor maximus; frons procedit potioemque sese praebet.

Animi inclinationum maxime insignis est amor veri: simulationis impatiens facillime bonum, a prudentia specie velatum, male interpretatur. Omnia intimo animo amplecti studens saepe cruciatur, quum alienus negligenter frigideque tractatur; et perpetuo impugnandi cupidus, quod, ut putat, rationi boni, pulcri et veri non respondet, tandem varia hominum consuetudine edoctus, („im Sturme der Welt") certas sibi colligit sententias ac regulas, quibus obse-



quatur, ut vitae difficultatibus resistat et egoismo (§ 65.) satisfaciat.

§ 39. *Aetas virilis*, ratione functionum vitalium habita, systemate venae portarum praevallente eminet. Hepar volumine, corpus obesitate augetur, unde morbi esse solent biliosi et haemorrhoides. Fronte perfecte arcuata (cerebri evolutionem perfectam indicante), vires intellectuales ad summam efficaciam intensas se praebent. In viro intelligentia animo potitur; femina vim sensuum coërcere studet. Sententiis certis sibi compositis, vir plane sibi constans est et firmus. Amor honoris et cognatorum maritum excitat ad res suscipiendas, quibus in civitate sese aestimatum reddat vitamque curis vacuum sibi paret; dum uxor, mariti studia grato animo agnoscens, pacem domesticam concordiamque inter singula familiae membra conciliare et servare, eaque illum recreare et ad opera sua excitare studet.

§ 40. Per aetatem senilem omnes functiones magis magisque languescentes, viresque deficientes videmus. Primum reproductio languescit (vigor vitalis imminutus, digestio perturbata, arthritis, lithiasis, ossificatio); deinde irritabilitatem debiliorem factam (musculorum tremorem, vitam propagativam evanescentem) et denique sensibilitatem etiam obeuntem (paralysin, amaurosin, surditatem, medullae attenuationem) animadvertimus.



Aeqno modo mentis etiam functiones obeunt. Primo exolescit animus; intelligentia appetitus et inclinationes doma (sapientia) et stimulis, qui vitam suavem et jucundam reddunt, magis magisque obtusis, homo ad futura libentius animum convertit, faciliusque decedit. Denique etiam vires intellectuales fugiunt (memoria), ita ut homo summae aetatis saepius eadem cura egeat, qua vita infantis sustinetur.

---

## C a p. IV.

---

### D e i m p u l s i b u s g e n e r a t i m.

§ 41. Vita, ubi vis appareat, relatione mutua ponitur, conservatur et excolitur inter vividum et vires certas illud agitantes (impulsus). quae sunt vel externae vel internae, quoad ex rebus externis ortum capiant, vel ex relatione mutua inter partes organismi ipsas (organa) orientur.

§ 42. Vitae natura haec est, ut, quod vivit, non solum sit sed etiam agile sit. Ut sit, eget nutrimento, ut agile sit, excitatione; et illud et haec ad vitam sustentandam utique necessaria sunt: nam organismus victu non instructus non materiam praebet, quae excitatione agilis fiat; et non excitatus nutrimentum ad materiam sui generis non assimilare potest.



§ 43. Sed non solum ad actionem functionum vitalium sustentandam, ad perfectionales etiam functiones evolvendas impulsus agitent, necesse est; etiam vita psychica uti physica eget cum nutrimento tum excitatione. Sensibus externis mens cum rebus externis, sensu interno cum internis communicat. quemadmodum corpus vita deficeret nutrimento privatum, sic vita mentis ei nunquam expergisceretur, cui non sensus ullus innatus esset; quemadmodum excitatione deficiente nutrimentum physicum non digereretur neque assimilaretur, ita intelligentia sensualis ad intellectualem in homine affectibus carente non intendi posset. (Fatuitas?)

§ 44. Impulsus autem, et nutrientes et excitantes tunc modo salubres esse, i. e. et valetudini et progressui hominis prospicere possunt, quum tali modo in functiones vim exserunt, qualis earum facultati in impulsus reagendi respondet; justo debiliores vel fortiores organismum afficientes, morbum efficiunt, dum vitae actionem nimis imminuunt vel augent, aut inaequabili excitatione harmoniam inter varias functionum actiones tollunt. (§ 15.)

§ 45. In cultura cernitur discrimen inter impulsus naturales et artificiales. Cum hi, tum illi sunt interni vel externi. Artificiales interni ex relatione mutua inter functiones perfectionales et vitales, externi ex vitae genere culturâ mutato oriuntur. quare etiam impulsus artificiales simul cum



relationibus inter functiones mutuis, culturâ progrediente, numero augentur; cum iis autem et facultas salutaribus com meatum aperiendi, noxiis resistendi augetur. (§ 5.)

---

## C a p. V.

---

### De impulsibus internis.

§ 46. Quibus viribus relationes inter functiones varias organismi perficiantur, quibus legibus obsequantur, nondum exploratum habemus. Functiones autem varias intime conjunctas esse, alteram ab altera dependere, singulasque ceterarum impulsu tantum et reactione propria propositum suum assequi, satis satisque patet.

§ 47. Sic reproductionem materiae prospicere videmus, gestatori et domicilio aliarum functionum; irritabilitas circulationem curat, eaque assimilationem materiae et ejus organis adductae commutationem ad qualitatem peculiarem iis propriam; sic sensibilitas, motum arbitrarium et involutarium efficiens, irritabilitatem excitat. — Eandem rationem sequens facultas sentiendi exciet facultatem volendi, eaque intelligentiam, quae consulit, quo jure cupiantur vel repudientur sensa. Ex animo



largiore et copiosiore intelligentia vigentior, uti ex succo uvae dulcioris vinum nobiliter enascitur.— Ex taedio oritur voluptas, ex malo bonum. cet cet. Rationes varias, quibus vires componuntur et sese vicissim incitant, quibus evolutionem corporis et mentis perficiunt, perscrutandi, hominibus semper gratissimum erit studium; gravissimum autem medico et educatori, qui aut ad sanandos morbos corporis vel mentis aut ad excolendum hominem non evolutum plerumque relatione illa mutua utuntur, ita ut certas functiones excitent, quae in aliis effectum proposito respondentem (antagonismo, consensu) excieant.

§ 48. Sed non solum functiones vitales, non solum perfectionales inter se, etiam functiones corporis et mentis intime conjunctae sunt ac tali conjunctione totalitatem peculiarem, organismum humanum constituunt, cujus pars corporea a corpore animalium, non mente praedictorum, aequo modo discrepat, quo pars psychica ab ente quodam non corpore praedito discerneretur, si tale quid mente comprehendere et cum illa comparare possemus.

§ 49. Prae omnibus elucet vis mentis ad oris lineamenta habitumque corporis omnino conformanda. Non solum animi affectus motu muscutorum vultus et membrorum sese patefaciunt; sed etiam gradus, ad quem mens evoluta sit, bonitas



et pulcritudo animi eum non effugit, qui vultus (oculorum) vigorem corporisque cultum aestimandi peritus est. Sic motus liberi et certi, oculi impavidi praesentem animum insignem faciunt hominemque, qui fixas sententias sequitur; sic motus faciles, gratiosi et verecundi feminam modestam decoramque designant; et facile discernendum, quod artis sit species, quod ipsius naturae interpretatio. Vultus vigor forma quasi animi esse videtur, uti lingua forma notionum; eodem modo admiratione digna est celeritas, qua sensatio fit motio, ac agilitas, qua notio fit vox.

Sed etiam in partes internas affectus vim habent; atque relationes, quas affectus animi quidam cum organorum certorum functionibus ineunt, tam constantes sunt et intimae, ut celeberrimi vel physiologi ea (hepar, cor, e. g.) pro fonte et domicilio passionum vel affectuum (gaudii, doloris, irae) habuerint; — ut fides ipsa (simulacra miraculis celebria) morbos sanare, voluntas sensus morbosos removeere possit; ut multi morbi, quibus homines honestioris ordinis potissimum opprimuntur, (convulsiones, hysterismus, hypochondriasis, appetitus morborosi, onania) certe plurimis in casibus ab evolutione mentis nimis accelerata corporisque neglecta, vel a sensibus inclinationibusve non satis domitis originem ducant.



§ 50. Quemadmodum autem mens excultior corpus conformat pulchrius, etiam valetudinem curat prosperiorem. nam adjumentorum, quae homini culto ad morbum opprimendum sese offerunt, vel non ratione habita, (quod cum bono cultura simul malum secum fert), mens mobilior etiam corporis fibram facit mobiliorem relationemque inter functiones varias faciliorem reddit et aequabiliorem (valetudini maxime faventem); dum actiones vitales rudis hominis vehementiores et praeruptae quasi, consumptionem praecipitem excient, relationem mutuam ubivis tollunt, et harmoniâ inter actiones functionum sublatâ, morbum facillime provocare possunt.

§ 51. Aeque modo negari nequit, et corpus ad ponendam mentis conditionem multum valere. In corpore vita vigente tantum, non exhausto et omni ex parte congrue evoluto (firmo) mens ad conscientiam vis internae venit praeclaram, fontem veri amoris sui matremque virtutum illustrissimarum, — evolvitur animus amplior, fons cujusvis vitae salutis, spei infinitae juvenum, venustatis et verecundiae omnia delinientis virginum, studii tranquilli virorum, hilaritatis contentae senum, — explicat ingenium flores mundissimos ac nitidissimos mentis.

Conditionem denique corporis aegram saepius mentem etiam perturbare, morborum mentis docent



tristia exempla, quorum plurimi, pro medicorum peritissimorum sententia, morbis abdominalibus aliisque corporis nituntur. neque minus, quae inestationem sui sequuntur incommoda, flagitium horribile, quod non solum vires vitales generosissimas pretiosissimasque diruit, sed etiam, vermis pestifer, animi flores splendidissimos erodit.

§ 52. Ut vita excitatione nititur, ita excitatio etiam quietem ponit et recreationem. nam excitatio perpetuo intensa mox consumptionem universalem, i. e. mortem afferret, nisi materia interdum vacare et, quod excitatione consumptum est, recreari possit.

§ 53. Excitatio corporis potissimum motione arbitraria in conspectum venit; quies somno. Motionum usus (virium exercitatio) ad valetudinem conservandam omnino necessarius est, quum excitatione non sufficiente reproductio imperfecta reddatur. Mutua vero excitatione singula organa etiam cum ad vim vitalem, tum ad facultatem confirmantur impulsibus reagendi et resistendi. quare coenesthesia corpus, quod certis impulsibus (frigore, animi affectibus et aliis) afficitur, admonet, ut sese moveat; quare instinctus quasi infantes sollicitat, qui vires exercent, praesertim quum impulsus adsunt, quibus reagendo vires confirmantur (sol, coelum purum); quare exsultatione, quod in uno loco diu sedentes amiserunt, supplere student; quare



denique vitae sedentariae incommoda, quae non solum musculos irritabilitatemque omnino debilitat, sed etiam, excitatione mutua sublata, ceteras functiones atque totum corpus erga impulsus nimis reddit sensibile.

Motio vero non solum viribus respondeat, sed etiam, quantum fieri potest, varia sit, necesse est, ne excitatio et roboratio inaequabilis efficiatur neque harmonia inter functiones sublata, valetudini incommodum afferatur. (Strabismus, linguae cunctatio, corporis habitus deformis.)

§ 54. Somnus omnino ad sensibilitatem, praecipue autem ad sensorium, excitationis corporis et mentis fontem, refertur. Consumtio contrahitur, consumpta recreantur. quare somnus eo est necessarius, quo magis reproductio praevalere debet (aetate infantili). Temporis dormiendi spatium excitationis praecedentis modo et proprietati corporis, ratione aetatis, temperamenti, sexusque conditionis habita, respondere debet. Somnus nimis longus, nimis brevis valetudini aequae noxius atque excitatio nimis fortis, nimis debilis. (Incommoda pervigilii, praesertim lucubrationis: sensorii nimis incitati.) Quod incitamenta gravissima (lux, tensio electrica et alia) desunt, somnus per noctem maxime quietus isque maxime saluber est.

§ 55. Quod in corpori efficitur motione et quiete, menti parat studium et oblectamentum.



(animi incitatio et remissio.) Cum illae tum haec certam rationem sequantur, necesse est, ut valetudo confirmetur. Studium pertinax stomachum movet amoremque litterarum corrumpit; oblectatio nimis diuturna vires mentis relaxat, eamque facultate privat, nutrimentum ut ita dicam, severius graviusque digerendi. Quemadmodum infans primae aetatis quiete corporea magis eget, ut materiam viresque colligat motionem sustinendi constantiorem, ita etiam mentem longius per tempus ad res graviores intendere non potest. ludenti imaginatio reproductiva (Kant) materiam psychicam colligit, et non prius, quam vires psychicae sensim sensimque adolescant, doctrina ab initio quasi ludens, magis magisque longiusque per tempus severior adhiberi potest. Ludi autem certe non minus rationem habeat ars paedagogica, quam studii, necesse est; aequae ludo ac studio consiliorum altiorum quasi instrumento eam uti, oportet; et quantum ad evolutionem psychicam, moralem et corpoream valeant ludi, certe eum, qui accuratius animadverterit, non effugiet.

---

## C a p. VI.

---

### D e i m p u l s i b u s e x t e r n i s .

§ 56. Mens mundi et temperatio, vitae terrestri uberrimus fons est sol. Omnes, quae materiae organicae ortum (generationem aequivocam) ponunt vires, tensio electrica densitasque aëris, lucis ac caloris intensitas, aquae liquiditas a relatione mutua inter solem et terram proficiscuntur. omnes, qui nutritionem curant impulsus, vigor vitalis materiae organicae (vegetatio) non nisi ab earum vi pendent.

§ 57. Praesertim lux, calor et aër maximum valent ad organismum integrum conservandum. Comparetur planta a luce remota, caloris expers, infirma et parce modo assurrecta cum planta, quae lucis impulsu gavisata est; infans in urbe natus, pallidus et nunquam satis recte validus cum rustico, integerrimae valetudinis. Potissimum sensibilitas ideoque irritabilitas vigent, quum illae vires influunt. Vivacitas, sensuum alacritas, animi hilaritas et constantia vi lucis sustinetur et augetur; sensus



libertatis gratissimus sentitur alacrior, respiratio amplior fit aëris rustici vel montani impulsu. pessima contra valetudine fruuntur, qui locis obscuris, humidis simulque frigidis, vel aëre corrupto, miasmatico et pulverulento impletis versantur (sedibus scholarum, carceribus, domiciliis cellariis). Aequè sensibilitas ac irritabilitas languescit (tristitia, pavor, inertia) et cum his etiam reproductio perturbatur: cachexiae insanabiles, morbi [primae formationis ex iis impulsibus (artificialibus) originem ducunt.

Qui corpus afficiunt impulsus noxii, ex tempestate annique tempore existentes, certe primo hominem sese exculturum impulserunt, eum admonentes, ut vitae rationem (vestitum, domicilium, victum) iis accommodaret, ne opprimeretur. Idem autem cultus permultos noxios simul procreat impulsus, si non corpus corroborare neque quod mos jubeat, illi, quod salutare sese praebeat, postponere studet.

§ 58. Magni momenti ad valetudinem conservandam et culturae progressus accelerandos coeli est inclinatio ac soli conditio regionis, quam incolimus. nam situs (latitudo, longitudo geographica, altitudo super maris planum) irrigatio aliaeque conditiones soli et vicinorum (maria, sylvae, montes, deserta) multum valent ad calorem, tensionem electricam, humiditatem integritatemque aëris (venti) et



lucis intensitatem ponendas, atque cum his ad vegetationis conditionem rationemque, qua homo nutrimentum sibi comparare studet, constituendam (vitae rationem, — gentium characterem peculiarem). Valetudinem et cultum maxime juvat plaga mitior, in qua omnes impulsus vim consociant, ut medium gradum et celeritatis et vigoris vitae sustineant; qui gradus valetudini maxime convenit. Anni temporis enim vices non tantum incommodum ei afferunt, quantum ex temperatura regionis tropicae diurna et nocturna valde diversa, vel ex frigore circuli septemtrionalis, omnem evolutionem cohibente, nascitur. In orbe medio natura minus voluntaria hominibus ea distribuit, quibus ad vitam sustentandam egent; sed etiam diligentiae et labori mercedem reddens, eos incitat, ut conatus persequantur.

§ 59. Impulsus nutrientes corporis sunt nutrimenta atque potus, digestionem adjuvans. Non solum nutrimentorum qualitas, a rationibus cosmicis posita et ad nutritionem magis minusve apta, sed etiam cauta ex iis, quae natura offert, electio et quantitas, qua sumuntur, ad valetudinem multum valent. Homini, quemadmodum e structura organorum digestionem prospicientium neque minus ex morbis (sthenicis vel asthenicis) elucet, qui ex nutrimento animali (azotico) vel vegetabili (hydrogenio praevalente) mero oriuntur, constitutum



est, ex utrisque victum quaerere; eumque, ratione roboris mixtorum habita, tantam quantitatem assumere oportet, quanta conditioni reproductionis peculiari corporis respondet.

Quum digestio nimis indulgendo non corrupta est, instinctus hominem docet, nutrimentum salutare eligere: ab excitantibus, aethereis, aromatis, quum noxia sint, abhorret. Homini cultu magis effeminato nutrimentum maxime salutare praescribere, potissimum ars diaetetica curat.

§ 60. Potus vim succorum, cibaria reddentium indifferentia eoque digestionem primam, quae assimilationi praecedit, efficientium, adjuvare debet; quare potus aquae saluberrimus, quod est indifferentissimus: et non prius quam digestio quibuscunque causis corrupta sese praebeat, potus qualitatis commutantis et corrigentis (acidulus, aethereus, amarus, nutriens) melius convenit.

§ 61. Contemplatio vero est omnium rerum externarum, quae ad mentis facultates evolvendas certe maximam vim exhibet. Quemadmodum magnae relationem mutuam cum pluribus ipsi similibus vel cum illo maximo, ex quo universa vis emanat, iniens, roboratur et agilis redditur, ita mens relatione mutua cum natura generatim, praecipue autem cum hominibus aliis evolvitur et firmatur.



§ 62. Comparemus hominem, alma natura, nondum cultu nimio corrupta, nutritum, rusticum cum illo, qui in urbe quavis magna adolevit. Non usquam intelligentiae experrectae tanta sese offert rerum maxime diversarum harmonia, ex quibus, simul animo placentibus, tam facile unitatis notionem assequi possit, quam in natura; non usquam mens ad res varias, singulis annis, mensibus, imo paene diebus aliam speciem praebentes, contemplandas, viribus corpus simul incitantibus non remotis, eodem modo admonetur, quo in illa. Infans, in urbe natus, paullatim desinit, res, quae ei obviam veniunt sine varietate, homines eodem modo occupatos et agitantes circumspicere; nullo paene alio modo nisi intuendis hominis morum et gustus exculti productis facultatem intelligendi exercere potest; ex quibus unitatis notionem, cultura vel nimia arte plane paene occultam, evolvere, vel homini exculto studium est gravissimum. Quare etiam eo, quod sanam rationem dicimus, saepius rusticos quam urbanos homines excellere videmus: quin etiam eos, qui non eodem evolutionis gradu gaudent.

Sensus intellectuales denique, sensus boni, pulcri et veri, quibusnam magis accendi possunt viribus, quam ipsâ rerum ab illo conditarum qui iis se bonitatis, pulcritudinis et veritatis comprehensionem esse indicat, contemplatione?



Prae ceteris rusticus religionem veneratur morumque praecepta sequitur; et conditiones sociales impediunt, quominus ab iis discedat. Dum societas urbana hominibus omnia, quibus egent, facile affert, eosque igitur liberiores et civium minus rationem habentes reddit, dum quisque se priorem et dissolutiorem facere studet, (Rang- und Luxusstreit) ideoque cum amore singulorum etiam amorem communem (Gemeinsinn) subruit, rusticus vicino non carere potest, eumque ut reipublicae statum eo pluris aestimat, quo magis iis eget. Quare amorem hominum communem colentes, aliis vel cum damno suo auxilium ferentes, patriae regisque amantes ac hospitales saepius rusticos quam urbanos invenimus.

§ 63. Naturae ad animum impulsus tunc vel praeclarius elucet, quum specie generosa sublimis vel rebus jucunde compositis amoena apparet. Quis est, quem coeli stellis refulgentis adspectus admiratione et veneratione, agri solis radiis exhilarati et recreati amore et gratia non impleat? Qualem quantamque creatoris liberalis altam intimamque fidem sermones elegantissimi ac eloquentissimi morum praeceptoris, vel ardor poëtae omnes aufereus saepius provocare nequeant, non raro generosioris naturae solus adspectus commovet. Consuetudo quidem vulgaris ac frigida nos impedit, quominus semper ad conscientiam sensuum pervenia-



mus; sed quemadmodum lux divina solis, nobis insciis, animos tranquillos reddit et consolatur, ab aegro tantum sensa, ita etiam naturae almae indoles animos recreat et firmat, saepius in morbum insanabilem incidentes, quum naturae vi consueta privantur (patriae desiderium). Animus impulsu generosioris et formosioris naturae cultus ex omnibus, in quibus homo per vitam versetur, elucet. Nam quodcunque sentiatur animo, naturae tranquillae et amplae considerandae similiter temperato, non solum profundius suscipitur; sed etiam animus, magnificis iisque generosis sensibus abundans, intelligentiam naturae tactu amplio-rem, vigidiorem ac firmiorem reddit. Quare regiones, a natura prae aliis eximie ornatae magnificentia vel amoenitate, tam multa proferunt felicia ingenia.

§ 64. Prae omnibus autem impulsibus haud dubie maximam vim dimittit ad rudem excolendum hominem homo ipse jam excultior hominumque societas. In ea malum morale existit; in ea malum opprimi bonumque parari potest. Infans, in solitudine ab homine quodam virtutibus vel excellentissimo educatus, non ipse virtute insignis esse potest, quum virtus in exercendo bono cum libertate existat; ut primum malo attactus est, i. e. simulatque aliorum consuetudinem appetiit, illiberum sese praebebit facileque malo opprimetur.



§ 65. *Universa moralis hominis conditio amore sui nititur. Egoismus hominem incitat, ut in coetu animi gravitatem (Selbständigkeit) sibi paret, eaque sese liberum et ex se pendentem reddat; egoismus eum commovet, moribus atque consiliis talem se praebere, qualis auctoritate dignus habeatur.*

*Amor sui autem, quum nihil aliud sit, nisi hominis studium suum ipsius commodum curandi, vel sese felicem reddendi, i. e. destinationem suam evolvendo bonum ex malo persequendi, ex circumspecta tantum destinatione progredi potest. Qualis autem sit destinatio, firmis ac claris argumentis non prius elucet, quam homo sese aliosve ceteris creaturis comparaverit, discrimine inter res conditas agnito, unius Dei notionem (unitatem) invenerit eaque, quod singulas contemplantem latuit, illustrare et explere studuerit.*

§ 66. *Amor sui igitur hominum peritia (Menschenkenntniss) nititur. qua autem imbuatur, homo non solum magis excultus, sed etiam vel ingenio praeditus sit necesse est, quum omnium rerum conditarum antea rationem habuisse eum oporteat. Quod autem omnis vitae salus vero sui amore nititur, etiam alio modo eum assequi posse debebat, quam hominum peritiâ claris argumentis (Ueberzeugung) positâ; et ad hunc finem providentia hominem donavit revelatione divina, quae eum destinationis fidem habere (glauben) docet, et eo*



melius non solum intelligentiam adhuc infirmam et ad errorem promptam ducit, sed etiam excultam servat, ne in transversum abripiatur, quo purior est ac sincerior fons, ex quo emanavit. Religio igitur hominis bonum est maxime egregium: inaeestimabile autem illis, qui parum apti sunt, intelligentiâ (circumspecta destinatione) ad verum sui amorem afferri; imprimis si animo infantili praediti sunt, qui etiam ad sese fiducia Dei erigendos maxime prompti reperiuntur. Quemadmodum vero feminae fidem animo amplectuntur castissimo, quum omnis earum dignitas, moralitas et innocentia fidenitatur (§ 32.), ita ipsam animis inserere maxime sunt aptae. Qui a matre prima liberorum aetate exciti sunt sensus, nunquam aboleri possunt, atque per totam vitam vim exoptatam afferunt. Feminarum honestarum consuetudo puerum, juvenem atque adolescentem docet sola vitae sociae modestioris ac liberalioris conditiones earumque animus vigidus et agilis efficit, ut vitae ejus leges consequi, maximum oblectamentum aestiment.

§ 67. Quamquam vero religio reipublicae firmissimum est columen, quum singulos incitet, ut ex intimo animo bonum appetant (necessitas interna), tamen ab hominibus tantum animo inseritur, qui ipsi non sunt perfecti atque ex omni parte evoluti, quare homo, sociam vitam degens, in incertum eventum, ut non satis efficacem sese praebeat re-



ligio ad malum opprimendum, legibus etiam eget, (necessitate externa) quae, velut officia negativa, quod coetum solvere possit, coërcere student, quum religio praescribit, qua ratione singuli intime inter se conjungantur.

§ 68. Quemadmodum religio et reipublicae leges moralem, ita artes litteraeque liberales intellectualem attingunt hominem; religio sensum boni, artes sensum pulcri, litterae sensum veri evolvendum juvant; religio atque artes vitae suavitatem, litterae vero dignitatem ei reddunt: quare facultatum ad artes praeformatarum evolutio non minus est necessaria ad educationem perficiendam, quam facultatis verum sentiendi et intelligendi. Sane ingenium tantum insigne, perfectum, immortale quidquam exhibere potest, sed etiam facultas producta plane circumspiciendi, etsi non per se, tamen ingenio adjuvante pulcritudinem ac sapientiam rerum conditarum agnoscendi, certe maximi est momenti ad progressus hominum accelerandos, praeterquam quod omnes suas mentis dotes evolutas habeat homo necesse est, priusquam ad illam facultatem pervenire possit. Quia enim artes liberales res conditas formâ pulcherrimâ effingunt, (ideoque eandem vim ostendunt, quam (§ 63.) natura pulchra exhibet,) quia litterae in physiologia res singulas contemplantur, in mathesi leges, quibus relationem mutuam ineant, perscutantur, et in philosophia ex legibus agnitis



vim creatricem circumspicere student, — quia igitur artes et litterae hominem ad conspectum intellectualem et rerum naturae et creatoris adducunt, ipse ad conscientiam destinationis pervenit sublimem, argumentis clarissimis ea lucere videt, quorum fide sola hucusque religio eum tenebat, atque cum hac conscientia vim colligit nunquam jam exarescentem, destinationi vitam totam tradendi.

§ 69. Quos denique natura homini excolendo prae ceteris praestituit homines singulos, illi sunt parentes. Ut matri prae omnibus venerabilem imposuit necessitatem, nato mammas praebendi, etiam matrem parvulo primum psychicum nutrimentum dare oportet. Totum educationis omnisque hominum salutis fundamentum, valetudo firma, sensus boni excitatio justa a nemine tam perfecte poni potest, quam a parentibus. Nemo tam pio incensus amore educationem curat; nemini tanta caritate deditus est parvulus, quanta illis. Severitatis hilaris patris, curae amantissimae matris monitus, tanquam genius tutelarum hominem per totam vitam sequitur. amor fidesque primus parvuli sensus; ex amore prima proficiscitur sententia; miserrimi certe, qui, infantes, parentibus orbatii sunt!

§ 70. Quum autem parentibus non omnes sint facultates educationem perficiendi, quum vel amor malum secum ferat, quatenus facillime fiat affectus simulque impediatur, quominus liberorum vitia



agnoscantur: viris, facultatibus, quae iis desunt liberoque animo praeditis, egent: educatoribus, medicisque. Sed omnes eodem studio conjunctos, idem propositum ad liberos educandos sequi, oportet, siquidem, quantum fieri potest, perfectam reddere velint educationem.

§ 71. Educatori facultas esse debet plane intelligendi, qua infans sit conditione, ut ad ejus indolem, aetate, facultate et temperamento variam, sese componere possit; cum infante infans, cum puero puer, cum juveni juvenis esse debet. Tum denique alumnus eum intelligere et doctrinam intimo animo amplecti poterit, tum denique educator doctrinam specie accommodata vel hilari vel severa imbuere et ad facultates discipuli aptare poterit, ut eum facienda pro viribus facere commoveat, et dulci sensu boni eventus, viriumque sese confirmantium conscientia, altiora petere incitet; tum denique talia boni (virtutum), pulcri (artificiorum) verique (sapientiae) exempla proponere poterit, quae ille intelligere magnique aestimare possit, ut fide incendatur, et ad exempla illa persequenda excitetur. Quare ad infantem educandum mater, animi facultatibus excellens, ad puerum vir firmus ac virtutibus insignis, ad juvenem instituendum senex experientia et dignitate venerabilis maxime congruit.



§ 72. Medicus ad hominis evolutionem juvandam non directa sed indirecta ratione agit, curans, ut methodus, quam educantes sequuntur, talis instituatur, qualis valetudinis conditionis rationem habeat, cum corporis (localitate prytanei, vitae genere, domicilio, victu et amictu, motionis et quietis vicibus), — tum mentis (facultatum praeformatarum evolutione, quantum fieri potest, varia et congrua, studii et oblectamenti recreationisve vicibus). Quo modo medicus non solum, qua homo, progressui generis sui prospicit, quum facultates perfectionales non nisi integra valetudine ad majorem gradum evolvi possint; sed etiam officii, valetudinis conservatori et custodi praestitutis satisfacit, quae praecavere eum jubent morbis, quos propter scientiam adhuc adumbratam sanare nequit.



## Vitae curriculum.

---

**E**go Julius Augustus Müller Beeskowiae anno MDCCCVI. die undecimo M. Januarii natus sum ab G. C. Müller patre carissimo et matre Fr. Guilelma e gente Pahn. Christianae religioni secundum Lutheri formulas addictus, elementis litterarum privatis praeceptoribus instructus in Gymnasio Sedinensi, directore Fr. Koch florente, in litteris humanioribus institutus sum.

Autumno anni MDCCCXXV. octo per annos in illo Gymnasio moratus, universitatem Fridericam Guilelmam petii, ibique die XXI. M. Octobr. academiae civibus adnumeratus, per quadriennium hisce interfui illustrissimorum virorum praelectionibus.

De anatomia corporis humani universa, de anatomia sensuum et foetus Ill. Rudolphi, de osteologia, splanchnologia et syndesmologia Ill. Knappe disserentes audivi, quibus etiam praeceptoribus in arte cadavera dissecandi gavisus sum. Botanicen mihi Ill. Hayne, pharmaciam Ill. Hermbstaedt, chemiam Ill. Hermbstaedt et Mitscherlich, zoologiam Ill. Lichtenstein mihi tradiderunt. De physiologia cum generali tum speciali Ill. Rudolphi, de pathologia generali Ill. Fr. Hufeland, de materia medica



Ill. Osann, de arte formulas medicas scribendi Ill. Casper, de pathologia speciali, de therapia speciali et de morbis mentis nec non syphiliticis Ill. Horn, de morbis oculorum Ill. Jüngken et Ill. Rust, de chirurgia Ill. Rust, de aciurgia, junctis exercitationibus aciurgicis Ill. Rust et Ill. Kluge, de arte obstetricia et de ossibus fractis luxatisque Ill. Kluge interfui praelectionibus.

Exercitationibus clinicis adfui medicis duce Ill. Ill. Bartels et Wolff, chirurgicis, duce Ill. Ill. Rust et de Graefe, ophthalmiatricis duce Ill. Jüngken.

Tentamine tum philosophico cum medico atque examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.



# Theses defendendae.

---

## I.

Mors absoluta non existit.

## II.

Nomina medicaminum noviora, nostris saltem temporibus praeferenda sunt veteribus.

## III.

Morborum mentis plurimi ex morbo corporis quodam oriuntur.

## IV.

Febris saepius pro morbo secundario quam primario habenda.

## V.

Ad faciendam cataractae extractionem sectio corneae neque sursum neque deorsum ducta omnino repudianda.

---



# Theses de ...

I.

... non ...

II.

... in ...  
... et ...

III.

... per ...  
... et ...

IV.

... ad ...  
... et ...

V.

... in ...  
... et ...